Mandibulæ Lucii piscis.
Nymphæa, & eius conserua, ac oi.
Papaueris albi sem.
Plantaginis sem.
Portulacæ sem.
Salicis fol.

Suppurantia, siue

Πεπάντικα, seu Εκπνισκοντα.

SVppurantia, Barbaris maturantia calorem nostri corporis adiuuare debent, cùm puris generatio media sit actio inter probam concoctionem, & putredinem. Adiuuatur calor natiuus tripliciter, ideoque tres suppurantium ordines statui possunt.

Prima, similitudine temperamenti partis calorem fouent, quæ licèt respectu totius calida, humidaque sint (consistit enim vita in temperato calore, & humido) tamen respectu diuersarum partium aliquam varietatem sortiuntur, cùm partes dissimile temperamentum nactæ sint. Propterea medicamentum suppurans in parte calida aliquanto debet esse calidius, in cute, & carne magis temperatum, in illis quæ frigidæ sunt temperatoriæ, temperatissimum. Atque hæc maximè suppurantia appellantur.

Secundi generis medicamenta caloris in-

influentis profluuium prohibent; Idcoque augent natiui caloris substantiam occludendo, & offarciendo corporis meatus, qualia sunt emplastica, suntque minus propriè suppurantia.

Postrema calorem augent, quatenus materiam, in quam agit calor, quòad fieri potest, æquabilem reddunt, eiusq; excessus temperato calore eius calori repugnantes castigant. Quamobrem in humore admodum calido mixtum fit suppurans ex adiuuante calorem partis, & feruorem materiæ retundente, quod proportione intellectum volo in alijs humoribus. Atque hæc per accidens sunt suppurantia, varias que obtinent facultates pro vario excessu peccantis materiæ, quæ ex communioribus tabulis peti debent. Ex suppurantibus primi, & secundi generis, quæ calidiora sunt, conueniunt calidioribus tumoribus, quæ temperatiora alijs,

Suppurantia calidiora sunt

Adeps [Anserinus.
[Caprillus.
Bryoniæ rad. recens.
Cœpa cocta.
Caricæ pingues.
Crocus.

Cucum.

Cucum silu. rad.
Dactyli pingues.
Farina orobi.
Fermentum.
Fœnugræcum.
Ladanum.
Lini sem.
Lilii albi rad.
Ol. { è Sem. citri. / Sesaminum. / Anethinum. / Liliaceum.
Pix arida oleo liquata.
Resina quæcumque.
Styrax.
Thus.

Suppurantia temperata.

Adeps { Suillus. / Vitulinus. / Gallinaceus. / Taurinus. / Humanus.
Althęa.
Amygdalæ dulces.
Butyrum.
Cera flaua.
Farina tritici sine furfure cum aqua, & oleo.
Malua.

Mastiche.
Oesypus.
Ol. { Amygd. dulc.
Commune.
è Vitellis ouor.
Butyri.
Axungiæ cuiuscunq.
Panis moderatè fermentatus cum aqua & oleo.
Propolis.
Sapa.
Seuum.
Vitelli ouorum.

Composita.

Diachylum simplex.
Ungu. { Pectorale.
Resumptiuum.

Caloris expertia.

Aqua calida perfusa.
Farina hordei.
Hydrelæum.
Lac.
Malacydonia cocta.
Viscus pomorum.

Composita.

Emplastrum ex pane cocto cum lacte, & oleo rosato.

Extrahentia.

EXtrahentia, quæ vulneribus infixa hærent, cùm maximè agant totius substantiæ similitudine, sit autem rerum inter se diffidentium non eadem proportio, intersecari debent differentias, quot sunt corporum extrahendorum proprietates. Quia tamen istorum indefinitus est numerus, nec satis constat cuiusque medicamenti epispastici cum extrahendo corpore analogia, præstat eam diuidendi rationem inire, quæ in alexpharmacis recensendis obseruata est, vt extrahentium alia statuantur indeterminata, alia determinata; quæ quibuscumque rebus præcipuè conueniunt, vt plurimum vulneribus infiguntur res ferreæ, plumbeæ, ligneæ, Palea, herbarumque cauliculi; & hæc vel sincera, vel veneno infecta.

Venenum extrahunt tabacum, dictamnus, & propria cuiusque veneni alexipharmaca. Ferrum trahitur magnete præparato, plumbum lingua vulpis, si vino rubro decoctionis aristolochia, & serpentariæ

ma-